

## CIRCARIA FRISIAE

Origo et evolutio Ordinis nostri in hac regione omnino est specialis, et quoad multa valde differt ab aliis circariis. Sunt Frisones gens germanica, littora Maris Septentrionis habitans. Terra eorum, lutosa et plana, impetu maris semper est exposita et saepissime submersa. Mare magnas partes eius deglutivit, quas zelus hominum ingenti labore partim tantum potuit recuperare, novas tamen terras saepe obtainens, alluviones illius aggeribus cingendo. Ita Frisia faciem suam geographicam a saeculo XII omnino mutavit, ubi nunc est terra, saepe quondam erat mare et vice versa.

Frisia proprie dicta, ubi adhuc hodie lingua frisica viget, et Groningana provincia, ubi a saeculo XIV huic linguae paulatim saxonica est substituta<sup>1)</sup>, pertinent ad regnum Neerlandiae, Frisia Orientalis vero ad Germaniam. In hisce tribus regionibus contiguis, quorum evolutio historica inter se differebat, Ordo noster possedit unam ex florentissimis suis circariis, multaque coenobia utriusque sexus<sup>2)</sup>, in Frisiae autem partibus prope Bremen et in Holsatia sitis, nulla. Ne una quidem dioecesis extitit in Frisia, sed tota haec regio pertinuit ad jurisdictionem episcoporum distantium. Definitio limitum inter has dioeceses in Frisia est satis intricata. Hodierna provincia Frisiae spectabat ad Utrecht, praeter pagum Achtkarspelen, qui pertinuit ad episcopum Monasteriensem, cui etiam maior pars provinciae Groninganae erat addicta. Ad Osnabrugensem dioecesim spectabant quinque parochiae in pago Westerwolde, regio meridionalis fluviorum Tjamme et Zijpe, et aliquae partes interea in mari submersa. In Frisia Orientali pertinuerunt ad archidiaecesim Bremensem terrae Aurich, Borkum, Norden, Harlingen, Astringen, Rüstringen; ad Monasteriensem vero dioecesim spectabant Emsigerland, Reiderland, Overledingerland, Mörmerland et Langenerland. Anno 1559, postu-

<sup>1)</sup> Vulgo „Niedersächsisch“, sive „Plattdeutsch“. Quae mutatio in Frisia Orientali codem circiter tempore videtur esse facta.

<sup>2)</sup> Pars Orientalis Provinciae Frisiae, forte prae multitudine Praemonstratenum, vocabatur „Alba Ostergo“.



lante Philippo Rege Hispaniae, ad quam Neerlandia tunc spectabat, 17 novi episcopatus in Belgio et in Neerlandia sunt conditi. In Frisia erectae sunt dioeceses Leovardiensis et Groningana.

Frisones, ab initio libertatis suaे avidissimi, ingerentiam alienigenarum semper aegre tulerunt in foro tam civili quam ecclesiastico. Principes non habuerunt, sed terra eorum erat conglomeratione rerum publicarum rusticorum. Quae res publicae, parvae et numerosae, inter se erant independentes, unaquaque habente suas proprias constitutiones juridicas. Systema hoc oligarchicum feodalia jura non toleravit, nec decimas, nec commendas. Potestatem habuerunt abbates, consules judicesque pagorum libere electi, capitanei et „grietmanni“. Magni momenti ibi erant organizationes ad erigendos et instaurandos aggères et „aqueducta“<sup>3)</sup> ad protegendarum terram a fluctibus, vulgo „dijkvesten“, et „zijlvestenijen“, in quibus abbatiæ nostræ magnam habuerunt partem. Paulatim in Frisia orta est nobilitas rustica. Frisia Orientalis facta est comitatus S. Romani Imperii, Occidentalis vero omnino independens fuit usque ad annum 1498. In pagis inter Lavicam et Amasum sitis (Ommelanden), civitas Groningana potestatem sibi arripuit. Circa annum 1500, Dux Saxoniae, postea etiam Comes Frisiae Orientalis, et Dux Gelriae, studuerunt impetere in libertates Frisonum, in qua lite victor evasit Carolus V. Imperator, qui annis 1515/24 Frisiam, et anno 1536 Groningam Neerlandiae incorporavit.

Etiam episcoporum potestas in Frisia erat valde restricta; practice enim transierat ad archidiaconos, qui non erant delegati, sed vere ordinarii. Etiam parochi, qui semper libere eligebantur a plebe, nec umquam nominabantur ab auctoritate ecclesiastica, facultatibus et privilegiis gaudebant longe maioribus, ex iure consuetudinis longaevae, quam alibi. Episcopi longe distantes per sic dictos „præpositos“ erant repraesentati, qui saltem in Monasteriensi parte, erant laici uxorati. Frisones, de auctoritate extranea non libenter curantes, nonnumquam aperte inobedientes, ad illam non facile reccurrerunt, ita ut in Archivis Vaticanis, et in Actibus Capitulorum Generalium relative pauca inveniantur „Frisica“.

Ordo noster Frisiam nequaquam ingressus est nec ibi propagatus per fundationes nobilium, canonicos eius ab exteris advocantium, sed ex pietate parochorum vel rusticorum, qui vitam claustralē amplexi, huic Ordini bona fama gaudienti fundationes suas iam existentes, post maturam deliberationem aggregaverunt. Ita egerunt Fridericus parochus in Hallum, Sibo et Tjallingus fundatores Lidlumenses, Buwo, Gerco, et ambo Emones in Florido Horto. Relique fundationes videntur esse factae per

<sup>3)</sup> Sic appellabantur in documentis medii aevi „slusae“ (Schleusen, écluses).

abbates et praepositos ipsos, cum adiutorio rusticorum benefactorum, quorum nomina generatim sunt ignota<sup>4)</sup>). Numerus religiosorum, ut infra adhuc exponemus, in hac circaria insolitae erat magnitudinis, praesertim in abbatii virorum. Distributa erat haec multitudo in grangias ubique dispersas, sed etiam fundationes videntur esse factae ad eam minuendam. Praesertim religiosi abbatarum Documensis et Mernensis ineunte saeculo XIII in omnes partes evolaverunt velut examina apum, et maxima pars fundationum in circaria debetur eis<sup>5)</sup>.

Patriarcha Ordinis in Frisia, Beatus Fredericus, religionem quidem Praemonstratensem in abbatia neerlandica (Marienweerd) noscere et aestimare didicit, abbatiam autem suam subdidit paternitati alienae cuiusdam canoniae, nempe Steinfeldensi, quod postea, ut suspicamur coacte, fecerunt etiam Merna et Docum. Etiam Emo Floridum suum Hortum primo canoniae cuidam circariae Westfaliae submisit; quod cum non successerit, nec ille quaesivit tutelam alicuius abbatiae circariae Brabantiae, sed adivit archicoenobium ipsum. In posterum, Wittewierum sola directa erat versus Praemonstratum, dum reliquae abbatiae arcte nexae erant Steinfeldiae, cuius abbas semper in praxi erat „visitator natus“ in circaria Frisiae, sed alios abbates ad hoc delegare solebat<sup>6)</sup>.

Extensio circariae, medio saeculo XIII, videtur fuisse amplior per aliquod tempus. Catalogorum antiquissimus, Ninivensis I, in quo nullum monasterium occurrit post annum circiter 1247 fundatum, enumerat tantum quinque abbatias virorum, scilicet Hortum et Vallem Stae. Mariae,

<sup>4)</sup> Schildwolde, fundatio independens sacerdotis cuiusdam in proprium emolumen, a familia illius dotata, monasterium vere duplex sub praeposito (communitas clericorum, conversorum et sororum, *Gesta Abb.* p. 235) forte optimum paradigma praebet pro moribus huius gentis circa fundationes monasteriorum. Generatim enim etiam domus Ordinum Sti. Augustini et Benedicti simili modo ibidem erant conditae et constitutae. Quod sistema Frisones videntur habuisse aliquo modo pro proprio quodam nationali, quod et pertinaciter defenderunt contra ingerentias exterorum. Licet supponere, Schildwoldiam non fuisse unicam domum Ordinis in hac circaria, hoc vel simili modo fundatam, etsi certe non omnes fundatores fuissent homines tam effraenati quam Herdericus.

<sup>5)</sup> Eas in hoc casu forte esse factas ex schismate quodam, ex aversione Frisonum contra innovationes a superioribus Ordinis impositas, vide infra.

<sup>6)</sup> Steinfeldiae, saeculo XIII, semper commorabantur aliqui fratres Horti Stae. Mariae, „ut hinc inde mutua dilectio non tepesceret“ (*Gesta Abb.* p. 51)

Docum, Mernam et Floridum Hortum<sup>7)</sup>). Catalogi SLV (1270/90) Frisicae Circariae insuper adscribunt canoniam Clarholtensem<sup>8)</sup>), et tria monasteria Neerlandiae meridionalis, videlicet Bernam, Insulam et Sinum Stae. Mariae. Cum hae canoniae apud illos simul circariis Westfaliae et Brabantiae respective sint addictae, ex aliis casibus analogis licet concludere, eas inter annos 1250 et 90 ad tempus nomen dedisse Frisicae, dein vero fuisse reversas ad circarias vicinas, ad quas secundum Ninivensem I iam antea pertinuerant, et secundum catalogos recentiores (HTWA), et in posterum semper spectabant. Hugo aperte errat, attribuendo omnia monasteria Neerlandiae circariae nostrae Frisiae, nec prorsus elucet, unde hunc errorem potuerit haurire, cum contrarium a fontibus localibus innatur, a fontibus autem Ordinis clare probetur. Inter comites Hollandiae et Frisię, illo saeculo XIII, saepius saevierunt bella, et libertatis suae avidi, episcopis Ultrajectensibus, dominationem plenam aspirantibus, speciatim erant infensi Frisones, qui propter hoc magis tendebant versus Saxoniam et Germaniam<sup>9)</sup>). Ut iam vidimus, patres circariae, Fredericus et Emo, canonis Brabantiae circariae ne quidem paternitatis ligamine voluerunt iungi. In rebus curiarum, conversorum, et monasteriorum duplicitum, circaria Frisiae, ab initio sicut in posterum, viae prorsus aliam est ingressa quam abbates Hollandiae, Geldriae et Brabantiae. Ceteroquin clare patet ex actibus Capitulorum Generalium, qui expresse Marienweerd, anno 1536, attribuunt Circariae Brabantiae, ad initium usque saeculi XVII limites circariarum semper mansisse eosdem qui fuerant statuti circa annum 1300. Admittendum est tamen, has

<sup>7)</sup> Cat. Ninivensis II, qui nullam facit distinctionem inter circarias, easdem domus adducit. Parthenones omittit, in fine tamen adiungit indicem pretiosum asceteriorum Circariarum Vadegotiae, Ilfeldiae, Hungariae et Frisiae, qui videtur esse completus et fidelis, et praebere statum exactum circa annum 1235: „In frisia sunt hec filia dokinghe monasteriens. dyoc: porta ste. marie — filia clarholtensis, eiusdem dioc.: Skedwald — filia dokinghe, monasteriens. dyocesis: Bertze. Ergo licet supponere, reliqua asceteria „sui juris“ in nostra circaria esse fundata post annum circiter 1235.

<sup>8)</sup> Notandum est, Herdericum praepositum monasterium suum Schildwolde primo posuisse sub tutela Ludgeri abbatis Clarholtensis (1217/34, cf. vol. I 174), quod tamen abbates Frisiae non habebant ut verum ligamen paternitatis, sed ut tutelam quandam „ad personam“ tantum (vide *Gesta Abb.* p. 227).

<sup>9)</sup> Quod lucide exponit M. P. v. BUIJTENEN, in excellenti suo opere „*De Grondslag van de Friese Urijheid*“ (Assen 1953) pp. 127/50

circumscriptiones fuisse pluries „pro forma tantum“; Capitulum Generale, quoad visitationes saltem, parum de illis curabat, et omni tempore nominabat praelatos ex utraque circaria ad visitandas domus Ordinis „in partibus Hollandie, Gelrie, Frisie et Brabantie“.

Notandum est, Catalogos SLV enumerare separatim canonias „Merna, Sigebert et Werethe“, quae probabilius sunt eadem ac Aland, Langen et Barthe<sup>10</sup>). Hoc innuit, dicta coenobia medio saeculo XII non pertinuisse ad circariam Frisiae. Anxie retinuerunt enim hae domus, ultra Amasum in Frisia Orientali sitae, etiam in posterum „vetus sistema frisicum“, id est monasterium vere duplex, sub praeposito nulli abbati alienigenae subiecto. Opinamus ergo, illas domus esse ortas ex schismate. Videtur quod iam anno 1204 abbas quidam Doccumensis, incontentus de innovationibus a visitatore alienigena impositis (praesertim de segregatione mulierum a viris), cum magna turba religiosorum utriusque sexus secesserit ultra Amasum, ubi Barthense et postea Palmarense monasterium fundavit<sup>11</sup>). Simili ex causa, post annum 1235, Langen et Aland possunt esse exortae et Merna. Qua ex dissensione probabiliter nonnisi sero, et forsitan coacte, circariae nomen dederunt hae coenobia ante annum 1287<sup>12</sup>). Tria coenobia minora Frisiae Orientalis, quae videntur habuisse eandem normam (Hopels, Koldinne et Scona Mora) elanguerunt, et finaliter ab Ordine defecerunt.

Coniecturae tantum sunt haec, sed multa sunt indicia, eas habere suam probabilitatem. Tamenetsi abbates circariae, Praemonstrato et Steinfeldiae obedientes, sistema supradictum partim mutare studuerint, de abolitione monialium, a Capitulis Generalibus ab anno 1140 saepius instanter inculcata, minime curaverunt, immo monasteria vere duplia in hac sola circaria toleraverunt usque in finem. Omnis fere fundatio in hac circaria videtur primitus esse facta ut monasterium duplex. Postmodum autem vel viri, vel mulieres praevaluerunt in singulis domibus duplicibus. Si viri, translatae sunt mulieres<sup>13</sup>), si mulieres, paulatim viri

<sup>10</sup>) Cf. vol. I 274/75. Palmar in hisce catalogis est omissa, nisi forte lateat sub voce „Balna Insula“, de qua vide infra suo loco.

<sup>11</sup>) Chron. Emonis ed. FEITH p. 4. Vide infra apud Barthe, Kusemer, Palmar, et Dokkum.

<sup>12</sup>) In Ind. Vis. 1290 iam omnia sunt inserta. Tamen non clare patet, num tunc revera iam pertinuerint ad circariam, quod cum certitudine elucet e catalogis post annum 1290 redactis.

<sup>13</sup>) Fridericus iam mature (1170) sorores suas transtulit in Bethlehem. Secutae sunt aliae abbatiae, instantibus probabiliter abbe Generali, et abbe Steinfeldensi (Lidlum 1186, Merna 1204, Dokkum eodem anno?, Floridus Hortus 1214).

reducti sunt ad communitatem parvam, quorum praepositus tot solummodo sacerdotes et conversos admittebat ad professionem, quot necessitas videbatur exigere<sup>14)</sup>). Monasteria vero duplia in Frisia Orientali sita, hanc evolutionem non sunt secuta<sup>15)</sup>). Asceteria orta per translationem sororum ex monasterio primitus duplici (Bethlehem, Bajum, Nijeklooster, Weerd, et Oldenklooster), in circaria, sicut de more in Ordine, semper habebantur ut partes integrantes abbatiae matris, et ideo in nullo catalogo enumerantur<sup>16)</sup>). Post annum 1200 quidem habent sua bona propria, sed ab abbe sunt administrata, qui semper et sigillavit pro utroque monasterio. Quibus asceteriis praefuit prior ad nutum abbatis. Initio hi priores pariter vocati sunt praepositi<sup>17)</sup>.

Reliqui parthenones circariae erant praepositurae sui juris. Praepositi, licet nullus eorum videatur fuisse infulatus, quoad omnia suntaequiparati abbatibus. Habebant, sicut illi, unum vel duos capellanos, eligebantur libere a monialibus (et a canonicis, si tales aderant), generatim e gremio abbatiae cuiusdam, et saepe munere visitatorum in circaria fungebantur. Langen, de quo subsistunt archiva ampliora, forte est optimum exemplum monasterii duplicis Ordinis nostri. Praerat ambabus communitatibus praepositus tamquam praelatus ordinarius, ad cuius nutum erat prior gubernans viros, et priorissa praesidens coetui virginum. Certum est, in fine haec monasteria duplia (Aland, Langen, Palmar, aliquomodo etiam Merna) a paucis tantum sacerdotibus fuisse habitata<sup>18)</sup>). Tempore suppres-

<sup>14)</sup> Quod, ad annum usque 1317, in toto Ordine erat in usu, sed postea, praeter in Frisia, praecipue in circariis Poloniae, Bohemiae et Moraviae. Capitulum Generale videtur saeculis XIV et XV, institisse in abolitionem huius status. Si in fine saec. XV, vel postea aliquod asceterium Frisiae voluit sacerdotes recipere in professionem, Capituli licentiam petuit et obtinuit (Act. Cap. Gen. 60, FRIEDLAENDER 1267). Praepositus Schildwoldensis cum recepisset professionem canonici cuiusdam anno 1538 absque licentia, Capitulum illam declaravit validam sed non licitam (Act. Cap. Gen. Laon 324/25).

<sup>15)</sup> Quod videtur confirmare hypothesis nostram supra expositam, illa nempe esse orta ex schismate.

<sup>16)</sup> Cat. P solus eas habet ex additamento ab ipso Lepaige apposito. Nec inveniuntur hae domus in Cat. Vis. 1290.

<sup>17)</sup> *Gesta abb.* p. 148, et alibi.

<sup>18)</sup> Monasterium duplex de Selwerd O. S. B. prope Groningam, praclarum et dives, anno 1507, praeter multas moniales et abbatem, quatuor tantum habuit monachos (REIMERS FPU nr. XLIX). Monasteria duplia aliorum ordinum, ideo et nostri tunc vix ab hoc differebant. — Si communitas virorum erat parva, praepositi canonicos suos ad tempus solebant mittere ad magnam quandam abbatiam, ut disciplinam Ordinis addiscerent (*Gesta Abb.* p. 232).

sionis communitates virorum ibi aut erant extinctae, aut redactae ad praclatum et unum alterumve capellatum.

Notandum est, coenobia virorum omnium Ordinum in Frisia, a saeculo XV, constitisse plus minusve religiosis alienigenis. Invenimus enim in circaria nostra hoc tempore iam fere nullum nomen frisicum, sed omnes religiosi et superiores, ut ex cognominibus neerlandicis facile dignoscitur, exorti erant ex Geldria, Rhenania et Flandria, vel Hollandia, dum moniales manserunt semper indigenae.

Sicuti evolutio monialium, etiam status curiarum et conversorum in hac circaria erat specialis et insolitus. Dum in aliis circariis systema „autarchiae“ oeconomicae, quo bona per conversos in grangiis seu curiis distributos erant exulta, saeculis XIII/XIV definitive fuerat derelictum, in Frisia haec praxis viguit usque in finem, Non tantum abbatiae, sed etiam asceteria multas possederunt curias (Lidlum: 12), vulgo „uithoven“ seu „voorwerken“ nuncupatas. Curiis maioribus praefuit prior, ut v. g. in Bakkeveen, cui adiuncti erant aliqui sacerdotes, praesertim ubi schola et parochia curiae erant adnexae. Minores regebantur a „grangario“, qui saepe erat conversus. Ut constat de curiis canoniae Langen, non tantum conversi laborabant ibi, sed etiam conversae, et quidem adhuc saeculo XV. Conversi interdum erant viri magni momenti in vita publica. Numerus conversorum utriusque sexus erat primis saeculis ingens. Cum, anno 1287, tota Frisia devastata esset diluvio terribili, et ubique esset relatum, omnes hanc terram habitantes periisse fluctibus, Abbas Generalis eo statim profectus, visitationem instituit ad inquirendum, quot religiosi in singulis coenobiis essent aquis superstites<sup>19)</sup>. Absque dubio multi perierant<sup>20)</sup>, et tamen inventi sunt in tota circaria adhuc 3636 religiosi (monialibus inclusis), e quibus degebant in solo Florido Horto mille, in Lidlum 600, in Dokkum, et in Mariengaarde 400. Nullibi in Ordine nostro umquam tantae communitates extiterunt. Cum maxima pars huius multitudinis certe constaret conversis, facile est intellectu, illos Ordini saepe fuisse maximum in onus et in scandalum.

Quoad apostolatum et curam animarum, Ordo noster quam maxime est meritus de Frisia. Ante annum 1163, praeter duas canonias O. S. A., hic populus rudis, in religione christiana non ubique satis fundatus, nulla habuit coenobia, quae curae animarum et praedicationi se devoverint.

<sup>19)</sup> Quae visitatio facta est triennio post diluvium, id est an. 1290 (WUMKES p. 42). HUGO falso eam ponit serius, nempe in annum 1317 vel 1327.

<sup>20)</sup> Vinea Domini tunc penitus erat deleta et evacuata. In Lidlum 40 religiosi tantum perierant (WINSEMIUS p. 175).

Mox Ordo noster hac in re omnino primatum habuit, praesertim in Frisia Orientali. Duae eius abbatiae praecipuae, Mariengaarde et Wittewierum, fundatae sunt a parochis, quibus etiam postea cordi fuit cura animarum. Paucas ceteroquin ecclesias incorporatas habuerunt canoniae, praeter Lidlum, quod sicut Doccum, exercuit jura archidiaconalia.

Canonicos fuisse expositos in parochiis iam maturo saeculo XIII, patet ex „Gestis Abbatum“<sup>21)</sup>. Sed modus providendi ecclesiis parochialibus differebat ab illo, qui vigebat in aliis circariis. Iam supra diximus, populum in hac regione elegisse suos parochos, immo in ecclesiis incorporatis abbatibus nil supererat nisi ius quoddam presentationis. Ex indice parochorum ante annum 1580 patet<sup>22)</sup>, nequaquam omnes parochos in hisce ecclesiis fuisse ex Ordine. Tamen abbas mansit summus dominus (persona) earum, habuitque in illas jura, et praesertim onera. Praepositurae et asceteria nonnisi raro possederunt ecclesias. Ita potens canonica Langen non videtur ullam habuisse; tamen videtur constare, canonicos eius curam animarum exercuisse in tota regione Emdana (Kromme Horn) per saecula.

Etiam quod ad culturam profanam attinet, Praemonstratensium merita in hac regione haud facile superaestimantur: in siccandis enim paludibus, in miricis culturae adaptandis, in aggerandis partibus marinis, sicut et in instruendis populis magna praestiterunt. Emo et Fridericus, viri saepe laudati, excellebant litteris, quas in exteris universitatibus addidicerant. Ergo haud mirum, etiam fundationes illorum hoc spiritu studiorum fuisse imbutas. Mox enim fundaverunt scholas, non solum in canoniis, sed etiam in grangiis et asceteriis, quod laudabile opus prosecuti sunt successores. Imprimis quidem hae scholae ad educationem futurorum membrorum Ordinis erant destinatae, sed partim etiam filiis laicorum patebant. Ita, saeculo XIII, florebant studia et litterae in circaria Frisiae ut vix in alia; multi canonici erant „magistri“, et reliquerunt nobis scripta, quae pro historia Frisiae et totius Ordinis sunt pretiosa valde<sup>23)</sup>. Sed Praemonstratum, scholis et studiis infensum, talia non toleravit<sup>24)</sup>, et

<sup>21)</sup> ed. WYBRANDS (secundum quam semper citamus) pp. 109, 182, cf. 240.

<sup>22)</sup> MS REITSMA XIX

<sup>23)</sup> Gesta videlicet Abbatum Orti Stae. Mariae, Chronicon Emonis, quibus adiungendus est scriptor quidam saec. XVI, Sibrandus Leo. Editiones vide infra.

<sup>24)</sup> Huius rei causa est amor contemplationis exaggeratus, manichaeismum interdum sapiens, et studia habens pro vanitate quadam nociva. Spiritus ille Gallis videtur fuisse proprius. A Cluniacensibus exiens, praeter Cistercienses etiam nostrum Ordinem attigit.

ideo, eodem quoque saeculo, scholae omnes videntur cessavisse. Sed etiam studia postmodum sunt neglecta in circaria. Patet tamen ex Sibrando Leone, historiographo Ordinis peritissimo, saeculis XV et XVI canonias multos misisse canonicos ad extra propter studia.

A saeculo XIV, monasteria Frisiae occidentalis coeperunt dilabi, praesertim propter bella hos pagos continuo lassentia. Erant enim in Frisia duae factio[n]es, „Vetkoperani“, et „Schiringi“ nuncupati<sup>25)</sup>. Omnis civitas, ordo, nobilis, vel pagus alterutri adhaesit. Praemonstratenses cum Vetkoperanorum partes sint secuti, multa passi sunt a Cisterciensibus, et ab aliis, qui Schiringis adhaeserunt. Monasteria enim in Frisia exercitibus conversorum invicem debellavisse, et sibi mutuo multa damna intulisse, est ploranda veritas<sup>26)</sup>.

Sub fine saeculi XV, monasteria circariae sunt reformata, quod partim debetur influxui Windeshemensi. Aliquae domus iam antea perierant, partim fluctibus submersae, ut Palmar, partim suppressione, vel transitu ad alium Ordinem, ut tres parthenones in dioecesi Bremensi siti. Post medium saeculum XVI, cum coepit ingruere haeresis omnia monasteria destructura, haec erant nec omnino valida et sana, nec prorsus corrupta. Frisia Orientalis iam mox transivit ad lutheranismum; cultus catholicus anno 1559 ibi est abolitus. Tamen monasteria non sunt suppressa, immo admissio novitiarum non est inhibita. Paulatim sunt extincta, Aland inter annos 1560 et 70, Langen circiter 1585, Barthe post annum 1600.

Frisia proprie dicta, et provincia Groningana, sub ditione regis Hispaniae manserunt catholicae. Sed, ab anno 1568 in Frisia factio calvinistica in diem p[re]evaluit, pertinaciter luctans contra Hispanos, et praelati omnium ordinum, in odio illorum cum Calvinistis concordes, partes haereticorum sunt secuti. Obstinate se opposuerunt reformationi salutari, a Concilio Tridentino impositae<sup>27)</sup>, sicut erectioni novarum dioecesium, de qua supra. Dotatio earum constitit abbatis ad hoc suppressis, et inde irae a parte religiosorum. Ordo noster hac re in Neerlandia et in Belgio varias amisit abbatias, et quidem inter p[re]cipuas. In nostra circaria: Mariengaarde, Wittewierum et Vineam Domini. Ab anno 1572 multoties monasteria a Calvinistis sunt devastata et combusta. Nimis sero praelati intellexerunt, se partes iniquas esse secutos. Anno 1580, Status Frisiae decreverunt suppressionem monasteriorum, simul statuentes, omnia aedificia illorum, quae ad usus agrarios non essent apta, statim esse

<sup>25)</sup> Vulgo „Vetkoopers“ et „Schieringers“. Confer de hac re EMMIUM, SCHOTANUM, WINSEMIUM etc.

<sup>26)</sup> Confer Sibrandum Leonem, haec scandala plangentem (WUMKES 51).

<sup>27)</sup> Anno 1563 omnes praelati Frisiae coadunati protestationem signaverunt sollemnem contra Concilium Tridentinum.

destruenda. Religiosi tunc partim in exilium tetenderunt<sup>28)</sup>). Aliter res se evolverunt in Groninga. Ibi ad annum usque 1580 vix erat turbatio. Ab hoc anno tamen, ruri protestantismus coepit invadere, sed devastations monasteriorum nonnisi in Merna et in Kusemer sunt peractae. Anno 1594, capta civitate Groningana, et ibi religio catholica est abolita, et monasteria sunt dissoluta. Aedes eandem sortem habuerunt quam in Frisia. Bona monasteriorum in utraque provincia abhinc cumulatim a gubernio sunt administrata ad „pios usus“, sed saeculis sequentibus sunt venundata. Religiosi, praestito iuramento, se nihil contra novam religionem esse acturos, non inquietati in conscientia sua, pensione concessa quiete potuerunt frui. Archivalia, in quantum nondum perierant iam ante in bellis et spoliacionibus, raro tantum a religiosis sunt in exilium ablata, plures vero ab illis gubernio tradita, ad pensionem obtinendam. Per multa archiva monasteriorum manserunt in deposito gubernii, donec saeculo peracto in fabrica chartae papyraceae in Makken essent deleta, ad obtinendum spatium!<sup>28a)</sup> Gubernium postmodum coadunavit reliqua in unum, per pauca tantum hodieum subsistunt in Archivis Groningae et Leovardiae. In Frisia Orientali negligentia quasi omnia archiva sunt perdita, casu tamen Langense superest.

Aliorum monasteriorum documenta tam funditus perierunt, ut reducamur circa illa ad coniecturas, sed et ceterorum coenobiorum historia, praesertim primordia eorum, ex defectu archivalium generatim iacent in tenebris, praeter ea quae scimus ex praeclaris chronicis supra laudatis. Hinc inde, in archivis privatis et municipalibus saeculorum XV et XVI, inveniuntur res monasteria nostra tangentes.

Aedificia, quae absque dubio passim erant pulcherrima, ut elucet ex descriptionibus traditis, statim fere ubique sunt rasa. Hinc inde, saeculo XVIII, aliquae partes eorum adhuc supererant, sed interea periere etiam ruinae, et ne lapis quidem totius huius splendoris venit ad nos. Rabies iconoclastica Calvinistarum tam fanaticae saeviit in omnia, quae monasteria in mentem possent revocare, ut ne in musaeis quidem publicis aliquid de illis supersit, praeter pauca aliqua residua exigui valoris.

<sup>28)</sup> *Conscriptio Exulum*, o. c. infra

<sup>28a)</sup> M. SCHOENGEN, *Neerlandica in Belgische Archieven*, N. Arch. Bl. XVII (1908/09) p. 208

VISITATORES CIRCARIAE FRISIAE

Ab anno 1498, secundum Act. Cap. Gen. Laon

Abbas Lidlumensis	1497	Abbas Lidlumensis	1511—20
Abbas Parcensis	1498	Joannes quondam abbas	
Praepositi Langensis		in Lidlum	1521/26
et Barthensis	1499—1503	Abbas Lidlumensis	1527/39
Abbes Antwerpiensis		Abbas Floreffiensis	1571
et Parcensis	1504	Abbas Generalis	1574
Praep. Langensis	1505—08	ab hinc, licet titulariter tantum, visitatores et vicarii generales	
Abb. Lidlumensis et		Circariae Brabantiae <sup>29)</sup> .	
Praep. Aalandensis	1509—10		

E P I T H E T A

coenobiis huius circariae apponi solita

1. Epitheta Mariana:		Sepulchrum	:	Buweklooster
Camera		Silva	:	Lidlum
Stae. Mariae :	Marne	Vallis	:	Weerd??
Campus	: Kusemer			
Curia	: Bakkeveen, Marken	2. Alia epitheta:		
Gratia	: Schildwolde	Campus Rosarum:	Nijeklooster	
Hortus	: Mariengaarde	Floridus Hortus :	Wittewierum	
Insula		Mons Oliveti :	Veenklooster	
(Stae. Mariae?):	Balna? Aaland?	Mons St. Michaelis:	Bajum	
Mons	: Hopels, Vrouwtenberghe	Mons Sinai :	Heiligerlee	
Porta	: Palmar, Barthe?	Templum Domini:	Weerd??	
Ripa	: Aaland	Vera Charitas :	Koldinne	
		Vinea Domini :	Pingjum	

<sup>29)</sup> Praeter visitatores annuatim nominatos, Capitulum Generale etiam saepius misit visitatores „ad hoc“, et insuper Abbas Steinfeldensis regulariter nominavit delegatos. Noti sunt nobis: Abbas Floridi Horti 1481/85 (HUGO II 240), item 1486 (RA Gron), Abbas Sti. Foillani 1484/85 (AAU 1949, 153), Doccumensis —1488 (HUGO II 379), Mernensis 1527/40 (ibid. II 241), et iterum Doccumensis 1527/29 (ibid. I 380), quod videtur esse corrigendum in 1543/47; Lidlumensis 1571 (ibidem I 326).

## INDICES MONASTERIORUM FRISIAE

ab indicibus Ordinis, nobis pernotis, diversi; ex variis fontibus desumpti,  
ac in sequentibus saepius citati.<sup>30)</sup>

- Ind. Vis. 1290 Elenchus monasteriorum sui juris totius circariae, ideo et complectens Frisiam Orientalem, occasione visitationis Abbatis Generalis anno 1290 redactus (vide supra in praefatione), addito numero religiosorum, quos ipse ibi invenit aquis anni 1287 superstites. Nobis relatus est a Sibrando Leone<sup>31)</sup>.
- Ind. 1326 Monasteria Frisiae, Ultrajectensis diocesis continet, anno 1326?. MS Rijksarch. Utrecht, *Schuldreg. Hubert van Budel.* Publ. apud MULLER *Reg. Rek.* I 76 sq., et HALLEMA *Kloosterlijsten* 112/13
- Ind. 1505 Orig. „*Annael van Martena*“ (Saec. XVI), cuius multa extant MSS. Publ. *Chartbk.* II 14 'sq., et HALLEMA o. c. 113/16
- Ind. 1509/10 Publ. BERNNS, o. infra cit. 52/55, et HALLEMA o. c. 116/19
- Ind. 1510 (?) Orig. Hauptstaatsarch. Dresden, Friesländ. Sachen. Edd. HALLEMA, o. c. 119/21.
- Ind. 1529 Monasteria utriusque provinciae continet, anno 1529. Orig.: Bibl. Univ. Groningae, MS 129, fol. 226r. Edd. MATTHAEUS, *Anal.* III 481, HALLEMA o. c., melius GERBENZON art. cit. infra.
- Ind. Miraei MIRAEUS in *Chron. Ord. Praem.* (an. 1614) 50/51 præbet catalogum monasteriorum nostræ circariae, quæ steterunt sub paternitate abbatiae Steinfeldensis, simul enumerans asceteria ad illa attinentia<sup>32)</sup>.

<sup>30)</sup> Extat Index monasteriorum in Westergo, saec. XIII (cf. MULLER-JOOSTING, *Bronnen* I 352/53), qui vero est valde incompletus, et ideo a nobis praetermissus.

<sup>31)</sup> Sibrandus sua sponte fecit additiones. Ignorans omnino asceteria „Montis Stac. Mariae in Happelsa“, et „Verae Charitatis“, erronee ea identificavit cum Ter Apel et Nijeklooster.

<sup>32)</sup> Circa multa graviter errat. Ita verbi gratia identificat Montem Stac. Mariae cum Docum et cum Heiligerlee, Portam Stac. Mariae cum Kusemer, Montem Sion cum Veenklooster, quæ certe sunt erronea, „Silvam Stac. Mariæ sive Templum Domini“ cum Weerd, quod partim saltem videtur esse falsum. Sibrandus Leo et Miraeus ita facti sunt auctores confusionis maxime, quia in eorum fide omnes auctores in posterum haec menda descripserunt.

ARCHIVA ET FONTES NONDUM PUBLICATI  
infra saepius citata.

- Diarium Alting Diarium sive Ephemeris eorum, quae apud senatum inter litigantes decreta, deque aliis rebus acta fuere ab anno 1553 (—1594), secretario Alting (MS Stadsarch. Groningen, Recht. Arch. III a, 1/5. Editionem praeparat Dr. FORMSMA).
- Arch. Fr. Archief Friesch Genootschap Leeuwarden.
- Gen.
- Arch. Omm. Archief der Ommelanden, Rijksarch. Groningen (Citatur secundum Inv. MS ibidem).
- Cop. S. A. GABBEMA, Copiarium MS saec. XVII, 2 voll. (Prov Bibl. Gabbema Friesland MS 9056o).
- Leenkamer Algem. Rijksarchief den Haag, Leenkamer Holland.
- RR Klg Gron Rekeningen van de Rentmeesters der voormalige Kloostergoeden 1595—1796, ca. 360 voll. MSS Rijksarch. Groningen.
- Res. Ged. Resolutieen der Gedeputeerde Staten, 1595 sq. (ibidem)
- St. Gron.
- RA Friesl. Rijksarchief Friesland (Leeuwarden), Kloosterstukken Klst.
- RA Gron. Rijksarchief Groningen, Rechterlijke Archieven, II. Hoofdman-Redht. Arch. Recht. Arch. 6 dln 1571/97<sup>34)</sup>
- Stb. Prov. Rijksarchief Groningen. Staatboek der Provinciale Schulden, Sch. 1626.
- StA Aurich Staatsarchiv Ostfriesland, Aurich.
- Stadsarch. Stadsarchief Groningen.
- Gron.

(Archiva, quorum inventaria sunt publicata, vide hic infra).

<sup>34)</sup> Multa continet de monasteriis, sed vix est legibile, quapropter indices redacti saeculo XIX, secundum quos citamus, non sunt completi.

